DE

ALCMANE POETA LACONICO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XII. MENSIS IUNII A. MDCCCLXIX

PUBLICE DEFENDET

THEODORUS NIGGEMEYER

PRESB. PADERB.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXIX.

649

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRÆFATIO.

Si de aliqua parte litterarum Graecarum, de poesi lyrica, quamquam eius historiae evolvendae viri docti magnopere studuerunt, sententiae et dubiae et falsae circumferuntur. Cuius rei quum praecipua causa paucae exiguaeque poetarum lyricorum reliquiae sint, tamen qui ipsa veterum auctorum scripta rursus perlustrare non recusaverit, certe nonnulla de singulis poetis corrigenda et addenda inveniet. Imprimis hoc de Alcmane dicendum est. [1]) Quam ob rem non quidem omnes de eo quaestiones absolvere audeo, sed paucas maxime dubias pro viribus accurate explicare mihi in animo est. Itaque primum de aetate Alcmanis, deinde de metris disputabo, tertio cuius Graecorum nationis indolem et ingenium eius poesis prae se ferat, quaeram.

Quibus in conscribenda hac commentatione usus sim auxiliis, suis locis indicavi.

Numeros fragmentorum ex Bergkii Poetar. lyr. Graec. edit. III. p. 818—870 notavi.

---

[1]) Welckerus, qui primus fragmenta Alcmanis collegit et brevem de vita et scriptis commentationem addidit (Giessen 1815), ipse fatetur, novam de Alcmane disputationem non esse supervacaneam. cfr. Welck. Kleinere Schriften I p. 220.

I.

DE ÆTATE ALCMANIS.

Qui de aetate Alcmanis sive singillatim scripserunt sive obiter eam tetigerunt viri doctissimi, in duas sententias longe distantes distrahuntur: altera ad Olymp. XXVII vel XXX (intr. ann. 670 et 660 a. Chr. nat.) eum refert, [1]) altera in saeculi septimi exitu circa Olymp. XLII collocat. [2]) Quarum quum utraque testimoniis veterum scriptorum acriter defendatur, haec quidem nobis quoque, si quid accuratius de hac re statuere volumus, adeunda et examinanda sunt. Quod si diligentius fecerimus, prior sententia ea, quae sola stare possit, apparebit.

Apertum de Alcmanis aetate testimonium exstat apud Suidam, qui s. v. *Ἀλκμάν* [3]) circa Olymp. XXVII eum floruisse narrat. Cui loco inde haud paullum auctoritatis accrescit, quod Ardyn, regem Lydorum, quem undequinquaginta annos usque ad Olymp. XXXVII regnasse constat, [4]) aequalem Alcmanis fuisse addit. Additamentum hoc ex ipsis Alcmanis carminibus haustum esse a Suida videtur; [5]) quod si negatur, sane mirum foret, Laconici poetae aetatem ex Lydorum regum temporibus a Graeco scriptore statui. Na-

---

[1]) Welcker, Alcman p. 7. Ulrici, Gesch der hell. Dichtkunst II. p. 389. Bernhardy, Grundriss II. p. 468.

[2]) C. O. Müller, Gesch. der griech. Literatur I. p. 350. Hoeck, Kreta III. p. 379. Volkmann, Plut. de musica p. 76.

[3]) ... ἦν δὲ ἐπὶ τῆς κζ' ὀλυμπιάδος, βασιλεύοντος Λυδῶν Ἄρδυος τοῦ Ἀλλυάττου πατρός.

[4]) cf. Herod. I. 15.

[5]) cfr. Welcker, Alcm. p. 7. Bode, Gesch. der hell. Dichtkunst II. p. 15.

tione enim poetam Lydum fuisse et patre Lydo ortum, hoc unum nemini ad explicandum Suidae locum sufficiet, quum Alcman, aut Spartae natus,[1]) aut certe a prima pueritia in illa urbe educatus et eruditus,[2]) nullo quantum nos quidem scimus commercio neque usu cum patria Lydia coniunctus fuerit, id quod, ut mores Spartanorum erant, ne fieri quidem potuit. Si igitur ab hac parte, quae Alcmanis cum Lydorum rege compositi causa fuerit, inveniri nequit, id rursus neminem offendere potest, Alcmanem, quem patriae non oblitum esse, sed in honore et caritate eam habuisse ex ipsius fragmentis coniicere licet,[3]) in carminibus Lydorum regem tum regnantem commemorasse, indeque Suidae locum emanavisse. Quod si recte disputatum est, Suidae verba sine dubio ad statuendam aetatem Alcmanis summae sunt auctoritatis. Deinde vero ii, qui quum grave hoc testimonium non audeant prorsus praeterire, Alcmanem puerum extremos Ardyos annos vidisse subtilius contendunt,[4]) Suidae verbis minime satisfaciunt, quia et ex toto sermonis contextu et ex Olympiadum addito numero,[5]) hanc non fuisse illius auctoris sententiam, satis apparet; immo ex hoc loco Alcmanem intra annos 670 et 640 floruisse statuendum est.

Confirmatur haec temporum descriptio assensione Eusebii, episcopi Caesariensis, cuius in Chronico ad Olymp. XXX. 4[6]) scriptum est: *Λέσχης Λέσβιος ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ποιήσας καὶ Ἀλκμαίων ἤκμαζεν*, quod Hieronymus ita vertit:[7]) Alcmeon (sic!) clarus habetur et Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem. In versione Armenia ad eundem annum legi-

---

[1]) cfr. Welcker, l. l. p. 3 sq.

[2]) cfr. Corsini, Fast. Att. III. p. 50 et 51.

[3]) cfr. frg. 25. Müller, l. l. I. p. 349.

[4]) Müller et Hoeck, l. l. p. 3. not. 2. l.

[5]) cfr. p. 3. not. 3.

[6]) p. 86 ed. Schoene.

[7]) p. 87.

tur: [1]) Delches (sic!) qui parvam Iliadem fecit et Alcmaeon cognoscebantur. Huic quoque loco inde haud paullum ponderis tribuendum est, quod eiusdem cum Alcmane aetatis Lesches Lesbius commemoratur. Leschae enim aetas quum propter eum quem in historia poesis epicae tenet locum, [2]) tum propter certa veterum scriptorum testimonia infra initium saeculi septimi collocari nequit. Phanias Eresius, Aristotelis discipulus, cuius librum de poetis alterum Athenaeus laudat, [3]) apud Clementem Alexandrinum [4]) Leschem Terpandro, quem ipsum iuniorem Archilocho statuit, superiorem fuisse affirmat, unde qui eum aequalem Archilochi vel paullo inferiorem fuisse contendit atque Olymp. XX—XXV tribuit, non multum a vero aberraverit. Quod idem Phanias Arctinum Milesium a Lesche musico certamine superatum esse addit, etsi nullo modo probari possit, attamen ad Leschae aetatem quantum attinet, pro testimonio antiquitatis habendum est. [5])

Collatum his quos de Alcmanis aetate attuli locis aliquantuli etiam momenti est, quod Suidas [6]) Arionem Methymnaeum Alcmanis discipulum appellat. Qui quum circa Olymp. XXXVIII (625) in constituendis ducendisque dithyrambis Corinthi versaretur, [7]) ergo tum non iam admodum adolescens esse posset, hoc quoque temporibus, quibus Alcmanem adscribimus, optime congruit, quum qui alteram sectantur sententiam, Arionem etiam superiorem Alcmane statuere et Suidae hanc narrationem prorsus neglegere et omittere cogantur.

---

[1]) p. 86.

[2]) Müller, l. l p. 114.

[3]) VIII. p. 352 C.

[4]) Stromata I §. 131 (p 398 Pott.).

[5]) Quod Welckerus l. l. p. 7 Xanthum Lydum narrationis huius auctorem esse et certaminis tempus Olymp. XVIII addere contendit, ipse refutavit. cfr Kleinere Schriften I. p. 437 not. 5.

[6]) s. v. Ἀρίων.

[7]) cfr Bode, l. l. p. 372. Herod. I. 23.

Haec sunt quae ex veterum scriptis pro tuenda nostra sententia afferri possunt haud levia certe testimonia neque quae facile evertantur;[1]) sed audiamus etiam oportet, quibusnam argumentis altera sententia ab adversariis defendatur. In eodem Eusebii Chronico etiam ad Olymp. XLII. 2 (610) Alcman refertur, ubi haec leguntur:[2]) *Ἀλκμὰν κατά τινας ἐγνωρίζετο,* quod Hieronymus vertit:[3]) Alcman ut quibusdam videtur agnoscitur. Cuius loci auctoritas iis quae addita sunt verbis *κατά τινας* (ut quibusdam videtur) multo minuitur, quum neque Eusebium neque Hieronymum ei narrationi assensos esse nec tam pro certa quam supra allatam habuisse, ex ipso verborum contextu appareat. Auctores veteres, quorum ex scriptis Eusebius de Alcmane chronologiam hausit, ipsi inter se dissensisse videntur; qui autem priorem sententiam tuentur, eos ut magis certos et fidos testes eum secutum esse in promptu est. Ad explicandam hanc scriptorum dissensionem variae possunt rationes afferri. Quum Alcman, quem admodum senem mortuum esse constat,[4]) per maximam partem saeculi septimi floruerit, alius alium annum potuit statuere, et qui priorem temporis notationem a iuventutis initio, alteram ab anno mortis repetitam esse dixerit,

---

[1]) Aliud maioris quam adversarii volunt aetatis testimonium exsisteret, si in fragmento Alcmanis nuper reperto (Bergk, Poet. lyr. Gr. III. p. 1379 sq. ed. III) p. II. 14 lectio Γύγου, quam reliquiae litterarum monstrant, probari posset. Sensus hic esset, conferri virginem a poeta laudatam cum celere Gygis equo; quam comparationem, nisi vivum Gygem et in conspectu omnium eius equum statuamus, languidam esse, quis est quin sentiat? Atqui Gygem Olymp. XXXIII Olympiae stadio vicisse veteres tradiderunt (cfr. Corsini, Fast. Att. III. p. 53); qua de causa, si teneri posset haec scriptura, carmen ipsum haud multo post conditum esse recte concluderemus. Sed lectio Γύγου repudianda est, quum neque in Alcmanis reliquiis neque in ullo dialecti doricae vel aeolicae scriptore exemplum huius genitivi formae ου inveniatur. cfr. Ahrens, de ling. Gr. dialect. I. p. 111.

[2]) p. 90. ed. Schoene.

[3]) p. 91. In versione Armenia haec linea omissa est.

[4]) cfr. frg. 26.

haud ita multum a vero aberrare mihi quidem videtur. Sed etiam quod Suidas fabulatur,[1]) duos fuisse Alcmanes, poetas lyricos, Messenium alterum et alterum Laconem, illud ad turbandam temporum rationem aliquid valuisse facile coniicias.[2])

Aliud argumentum, quod a C. O. Müllero[3]) opponitur ad deprimendam Alcmanis aetatem, Pityusas insulas, quas inde ab Olymp. XXXV expeditionibus Phocæensium primum Graecis notas et accuratius indagatas esse Herodotum auctorem laudat,[4]) ab Alcmane in carminibus commemorari,[5]) pro nullo putandum est. Nam ut incertam loci illius Herodotei explicationem praetermittam,[6]) quid quaeso poetae, ut commemoret insulam aliquam, opus est accurata eius descriptione geographica? Accedit quod Alcmanem in aliquo carminum per iocum multas terras et gentes, apud quas se clarum fore praedicabat, scimus enumerasse, quae tamen grammaticis etiam inferioris aetatis ignotae erant.[7]) Quin vero nomen Pityusarum expeditionibus Phoenicum, qui multo ante illas maris occidentalis regiones investigaverant, iam Graecis notum fuerit, nemo est qui dubitet.

Attamen haec quae contra sententiam nostram prolata refutare conati sumus argumenta ne ab ipsis quidem adversariis valde urgentur; graviora ex ipsa Alcmanis poesi repetuntur, quae diligentius examinemus oportet. C. O. Müller his verbis breviter ea complectitur:[8]) Die Lebenszeit des

---

[1]) s v. Ἀλκμάν. cfr. Welcker, Alcm. p. 3.

[2]) cfr. etiam quae C. F. Hermannus, Antiquit. Lacon. p. 77 ad explicandam hanc in Eusebii Chronico perturbatam chronologiam protulit.

[3]) Gesch. der griech. Literatur I. p. 350.

[4]) Herod. I. 163, quo loco narrat, Phocaeenses primos Graecorum mare Ibericum investigasse.

[5]) cfr. frg. 147.

[6]) cfr. Hermann, Antiquit. Lacon. p. 77 not

[7]) cfr. frg. 118.

[8]) l. l. I. p. 350.

Alkman wird gewöhnlich zu hoch hinaufgesetzt, so dass man nicht begreift, wie damals schon die lyrische Poesie sich zu solcher Mannigfaltigkeit habe entwickeln können, wie man sie bei ihm findet. Neque aliter Hoeckius:[1]) Seine (Alcmanis) vielseitig gebildete Muse erlaubt kaum, ihn so hoch hinaufzurücken, wie Eusebius nach Einer Stelle thut. Sed quod hi viri doctissimi poesin lyricam iam tum eo perfectionis, quae in Alcmanis carminibus invenitur, progressam esse mirantur, eius rei haec causa est, quod illos quoque poetas et artis musicae peritos, qui hunc poesis lyricae statum praepararunt et effecerunt, Terpandrum dico, Thaletam, Polymnestum, quos primae et secundae constitutionis musicae auctores Plutarchus appellat,[2]) inferiori quam licet aetati tribuunt;[3]) qua de re accuratius dicam necesse est.

Omnibus his quos enumeravi poetis musicisque Alcmanem non fuisse superiorem et certis veterum auctorum testimoniis evincitur,[4]) neque quisquam eorum, qui historiae artis lyricae Graecorum explicandae operam dederunt, contradicit; sed si, quae sit singulorum aetas, accuratius quaerimus, magna inter viros doctos dissensio occurrit. Terpandrum quidem, primae constitutionis musicae auctorem, alii in Olympiadum initio ponunt,[5]) alii circa Olymp. XXVI eum floruisse contendunt.[6]) Verum haec discrepantia minus nos

---

[1]) Kreta III. 379.

[2]) de musica c. 9 (p. 7, 15. ed. Westphal).

3) Olympum Phrygem hoc loco praetermisi, quia probabilius videtur, numquam eum vere exstitisse, neque aliud quidquam hoc nomine comprehendi, nisi artem Phrygum auleticam in musicam Graecorum aliquid novi intulisse; qua de causa etiam de eius aetate nihil certi constitui potest. cfr. Rossbach et Westphal, Metrik I. p. 276 (edit. II.). Westphal, Gesch. der alt. und mittelalt. Musik p. 138. Ulrici II. p. 216. not. 144.

[4]) Alcman in carminibus mentionem facit Polymnesti (Plut. de mus. c. 5 p. 5, 25), quem ipsum Lacedaemoniis carmen in Thaletam fecisse Pausanias auctor est (I. 14, 3. I. p. 35 ed Kuhn).

[5]) Hermann l. l. p. 69. Westphal l. l. p. 64.

[6]) Müller l. p. 268. Ulrici II. p. 342.

attinet, quia etiam altera sententia probata nihil est quod nostram temporis computationem, quam de Alcmane supra proposuimus, quominus teneamus impediat; nam quin aequalem Terpandri iuniorem Alcmanem ponamus, nihil obstat.[1] Maior difficultas in statuendo secundae constitutionis musicae tempore obvenit; quam si extremae parti saeculi septimi attribuere testimoniis veterum scriptorum cogimur, quum Alcmanem non ante auctores huius catastasis floruisse supra concesserimus, de sententia nostra decedendum erit. Verum etiamsi cetera omnia de Thaletae tempore, de quo primum res agitur, ab aliis auctoribus tradita praetermittamus et unum Glaucum Italum,[2] cuius unius auctoritate adversarii nituntur, sequamur, tamen etiam in hoc fonte nihil esse, quod opinionem nostram subvertat, pro certo affirmaverim. Interpretes enim, qui nobis adversantur, poetas illos et musicos, Thaletam ceterosque, quod a Glauco auctores secundae constitutionis musicae simul enumerentur,[3] eidem aetati adscribendos, atque quum Sacadam Argivum Olymp. XLVIII, 3 certamine Pythico vicisse constet,[4] ceteros haud supra Olymp. XL collocandos esse arbitrantur,[5] qua interpretatione chronologiam prorsus falsam huic auctori attribuunt, quam statuere neque voluit neque potuit. Eo quod simul nominantur, eiusdem aetatis eos fuisse minime concludi potest, sed accuratius spectantes et natura huius catastasis et ipsis Glauci verbis hanc temporis aequalitatem excludi facile intelligemus. Quum prima constitutio a Terpandro instituta ad citharoedicam artem attineat, hanc alteram auleticae perfectionem

---

[1]) Ulrici II. p. 390. Bode IIb. p. 15.

[2]) Ex Glauci enim Rhegini libro „περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν“ conscripto pars illa libri Plutarchi περὶ μουσικῆς (c. 9. et 10. p. 7.), quae de prima et secunda catastasi musica agit, desumpta est. cfr. Westphal, Plut. de mus. p. 67 sq.

[3]) Plut. de mus. c. 9. p. 7.

[4]) cfr. Paus. X. 7, 3.

[5]) Müller, l l. p 286. Hoeck III. p. 340 sq.

spectare nemo est quin videat. Quae res non tantum institutione gymnopaediorum ceterorumque ludorum, quae huic catastasi annexa est,[1]) satis evincitur, quum saltationes his ludis coniunctae tibiis accinentibus fierent,[2]) sed etiam carminum generibus, quae a singulis qui enumerantur poetis colebantur, hyporchematis, nomis auloedicis, elegiis, dilucide apparet.[3]) Quod si constat, non minus in promptu est, diversas eos artis auloedicae partes secutos esse atque coluisse.

Dum Thaletas, Xenodamus, Xenocritus poetae paeanum et hyporchematum nominantur,[4]) Polymnesto nomorum auloedicorum compositio,[5]) Sacadae elegiarum et artis auleticae cultus[6]) tribuitur. Unde quum ordo hic sit: Thaletas, Xenodamus, Xenocritus — Polymnestus — Sacadas, Plutarchum non ex temporum ratione, id quod interpretes nonnulli affirmant,[7]) sed ex diversis quas sequebantur artis musicae et poeticae partibus eos recensuisse satis certe coniicitur. Ergo Polymnestum Xenodamo et Xenocrito inferiorem esse, ex eo, quod post illos enumeratus sit, colligere falsum est. Neque minus hos quinque poetas, qui artem auleticam, sed alius aliam partem perfecerunt, ea sola causa, quod simul nominentur, ad eadem omnes tempora referre temerarium est, praesertim quum ex ipsis verbis, quae Glaucus de singulorum aetate adiungit, contrarium intelligatur. Apertis enim verbis Thaleta Xenocritum posteriorem fuisse testatur;[8])

---

[1]) Plut. de mus. c. 9. p. 7, 19.

[2]) Müller, Dorer II. p. 331. Hoeck III. p. 381.

[3]) Plut. de mus. c. 9. et 10. p. 7 sq. — cfr. Hoeck III. p. 347. Bode IIa. p. 166. Athen. I. p. 16.

[4]) Plut. de mus. c. 9. p. 7, 23 clto p. 8. 10 sq. et 20 sq. — cfr. de Thaleta Hoeck III. p. 339, de Xenodamo Athen I. p. 15, de Xenocrito Boeckh. Explicat. Pind. p. 197.

[5]) Plut. de mus. c. 10. p. 8, 16.

[6]) ibid. c. 8. p. 7, 26.

[7]) Hoeck III. p. 378. Volkmann, Plut. de mus. p. 89.

[8]) c. 10. p. 9, 2: πρεσβύτερον δὲ τῇ ἡλικίᾳ φησὶν ὁ Γλαῦκος Θαλήταν Ξενοκρίτου γεγονέναι.

idem de Polymnesto loco Pausaniae supra laudato [1]) demonstratur. Itaque ex Sacadae aetate, qui circa Olymp. XLVIII floruit, [2]) perverse ceteri quoque eidem aetati adscribuntur. His in universum disputatis, unum quod restat, ut Thaletae aetatem ex iis quae Glaucus tradidit indiciis constituere conemur eamque probemus opinioni nostrae de temporibus Alcmanis non repugnare, difficile non est. Hoc enim solum aperte dicit, Thaletam post Archilochum natum esse. [3]) Quum igitur Archilochum iam ab Olymp. XV floruisse satis certum sit, [4]) Glauci verbis omni ex parte satisfaciet, qui Thaletam circiter viginti post annis inde ab Olymp. XX floruisse statuerit. Adventum eius in Peloponnesum atque constitutionem musicam, quantum ab eo facta est, ut circa Olymp. XXV ponamus, ea imprimis causa commovemur, quod in Chronico Eusebii institutio gymnopaediorum, quae catastasi huic a Plutarcho adiungitur, [5]) ad idem fere tempus, ad Olymp. XXVII adscripta est. [6]) Thaletae superstes erat Polymnestus, quum Lacedaemoniis eum carmen in Thaletam fecisse a Pausania traditum sit; [7]) aliud ex hoc Pausaniae loco colligi potest nihil. Itaque quominus eum aequalem Thaletae nonnullis annis minorem circa Olymp. XXVII fuisse dicamus, nescio quid impediat. Aequalis autem Polymnesti Alcman fuit. Nam quod Alcman in carminibus Polymnesti mentionem fecerit, [8]) ex eo nihil sequitur nisi ut Polymnestus non post Alcmanem

---

[1]) cfr. p. 8. not. 4.

[2]) cfr. p. 9. not. 4.

[3]) Plut. de mus. c. 10. p. 8, 21: Γλαῦκος γὰρ μετ' Ἀρχίλοχον φάσκων γεγενῆσθαι Θαλήταν.

[4]) cfr. Liebel, Archilochus p. 5. sq.

[5]) cfr. p. 10.

[6]) p. 86. ed. Schoene. — cfr. quae Hermannus de tempore institutionis Gymnopaediorum, quaeque Thaletas novaverit, acute et diligenter conscripsit Antiquit. Lacon. p. 87 sq.

[7]) I. 14, 3.

[8]) cfr. Plut. de mus. c. 5. p. 5, 24: τοῦ δὲ Πολυμνήστου καὶ Πίνδαρος καὶ Ἀλκμὰν οἱ τῶν μελῶν ποιηταὶ ἐμνημόνευσαν.

floruerit; neque aliud quidquam contra hanc temporum rationem potest afferri.

Iam satis mihi evicisse videor, ex veterum scriptis nullum locum, qui nostram temporum descriptionem planis et definitis Suidae Eusebiique testimoniis defensam subvertat, inveniri posse.

Accedit, ut hac sola temporum ratione Alcman eum quem debet locum in historia artis lyricae Graecae teneat, quum opinionis contrariae ea non minima sit confutatio, quod omnem poesis lyricae legitimum progressum et ordinem invertat. Quid enim? nonne statuunt viri illi Alcmanem Stesichoro natu minorem,[1] Alcaei et Sapphus aequalem?[2] Et tamen, ut Suidae locum, quo plane et aperte Stesichorum post Alcmanem floruisse affirmat,[3] omittam, nemo est, qui et formae et rerum magnum esse progressum inter Alcmanis carmina et horum quos dixi poetarum ignoret vel infitietur. Quum Stesichorum non stropham tantum et antistropham, sed etiam epodum adhibuisse notum sit,[4] in poesi Alcmanis nullum adhuc epodi vestigium repertum est. Neque minus strophas Alcaei et Sapphus, quamquam etiam apud Alcmanem breves has Lesbiacorum poetarum strophas invenimus, concinnius tamen et perfectius compositas esse, primo quasi adspectu liquet. Idem de argumento carminum dicendum est. Duas enim illas partes, in quas poesis lyrica apud Graecos discessit, choricam et melicam, quum apud eos quos supra dixi poetas iam penitus divisas inveniamus, unum quod nuper repertum est fragmentum hymni in Dioscuros[5] si di-

---

[1]) cfr. de aetate Stesichori Ulrici II. p. 401; Bode IIb. p. 41; Müller I. p. 357.

[2]) cfr. de aetate Alcaei Ulrici II. p. 353; Bode IIb. p. 379; Müller I. p. 299 — de aetate Sapphus Ulrici II. p. 360; Bode IIb. p. 411; Müller I. p 310.

[3]) s. v. Στησίχορος.

[4]) cfr. Bode IIb. p. 75. Welcker, Kleinere Schriften I. p. 169 sq.

[5]) frg. 16. in Bergkii Poet. lyr. Graec. p. 824 sq. (ed. III.)

ligenter perlegeris, Alcmanis tempore hanc artis lyricae divisionem nondum plane effectam esse intelliges. — Sed hac de re capite altero et tertio uberius dicendum erit; hoc loco sufficiat leviter eam perstrinxisse.

Ad extremum si, qui sit quaestionis huius eventus et finis, paucis complectimur, id quod propositum erat satis mihi demonstrasse videor, eam sententiam maxime esse certam, quae Alcmanem inde ab Olymp. XXVII vel XXX floruisse statuat, neque ullum argumentum, quod ab adversariis undevis repetatur, probari posse.

II.

DE METRIS ALCMANIS.

Qui strictim tantum et quasi in transitu fragmenta Alcmanis percurrerit, eum fugere non potest magna rhythmorum metrorumque copia et varietas, qua nemo fere etiam posteriorum poetarum eum superavit. Nullum fere genus rhythmicum in eius carminibus non invenimus, quae res eo maiore nos admiratione afficere debet, quum qui ei antecedunt poetae omnes unam tantum vel alteram metrorum et carminum formam coluerint. Terpandrum scimus versu heroico usum fuisse, et si ex nomorum traditis nominibus colligere licet, trochaeo semanto et orthio.[1]) Thaletas, quem secuti sunt Xenodamus et Xenocritus, hyporchematis excolendis gloriam sibi paravit, in quo carminum genere rhythmum creticum eum adhibuisse consentaneum est. Fortasse dactylis quoque hyporchematicis usus est, quia Olympum Phrygem, cuius ex arte auletica Stesichorum quidem dactylica systemata repetivisse constat,[2]) eum imitatum esse Plutarchus auctor est.[3]) Dum haec sunt metra in canticis sacra deorum illustrantibus usitata, alteram partem poematis lyrici, qua gens Dorica delectabatur, hymenaeos et epithalamia, quae quantum scimus, artificio et ingenio poetarum nondum exculta neque polita erant, metris levibus omni lege solutis verisimile est condita esse. Quantus est ab hac simplicitate rhythmica ad copiam Alcmanis et varietatem progressus! Attamen inven-

---

[1]) cfr. Poll. IV. 65.

[2]) cfr. Plut. de mus. c. 7. p. 7, 8.

[3]) cfr. ibid. p. 7, 10.

torem eum omnium, quae antea apud poetas Doricae nationis non occurrunt, metrorum praedicare falsum est. Immo potius hoc praecipuum eius meritum est, quod metra a singulis poetis in diversis Graeciae regionibus inventa usurpavit atque in poesin Doricam induxit. Omnium, qui ante Alcmanis tempora florebant, poetarum plurimas novas rhythmorum formas Archilochus tentavit, generis praecipue duplicis, ex poesi populari in sacris Dionysiacis solemni repetitas.[1]) Cuius Alcman vestigia sequens, quum has generis duplicis formas carminibus choricis primus adhiberet primusque dactylica metra hexametro breviora in poesi Dorica usurparet, recte Suidas de eo dicere potest:[2]) *πρῶτος δὲ εἰσήγαγε τὸ μὴ ἑξαμέτροις μελῳδεῖν*, quibus verbis congruit dictum illud anonymi:[3]) Alcman numeros etiam minuit in carmine. Neque tamen aliorum poetarum inventa neglexit, nonnulla ipse novavit, semper rebus dicendis formam optime accommodans. Quae omnia ut magis eluceant, singula rhythmorum genera, quae in Alcmanis carminibus obvia sunt, paucis describam[4]) neque tamen id praetermittam, unde singula metra repetiverit, quibusque in carminum generibus adhibuerit, quantum fieri potest, addere. Dein de arte et ratione, qua in componendis strophis usus est, quidque de excolenda stropharum compositione meritus sit, explicandum erit.

Trochaici numeri brevissimum metrum occurrit *dipodia* trochaica, quam nisi coniunctam cum aliis ordinibus non invenio. Frg. 63 dimetrum dactyl. cat. in disyll. antecedit, sed incertum, an sit duplex basis. Sequitur versum Pherecrateum frg. 66, 2. Spondeum his locis poeta non admisit.

Dimetro trochaico et *acatalecto*[5]) et *catalectico* saepissime

---

[1]) cfr. Rossbach et Westphal, Metrik III. p. 135.

[2]) s. v. Ἀλκμάν.

[3]) In Havercampii editione Censorini p. 140.

[4]) Metrorum enumerationem sed neque plenam neque integram dedit Welcker, Alcman p. 12 et 13.

[5]) Alcmanium eum vocat Servius, Centim. p. 1819 ed. Putsch.

Alcman usus est. *Prior* occurrit frg. 18, 1 et 2; 25, 2 et 5; 60, 2; 72; 73; cum anacrusi frg. 25, 1 et 4; 37, 1. Tribrachyn admisit in prima arsi prioris dipodiae frg. 25, 4, alterius dipodiae frg. 25, 2. Coniunctus invenitur, sequens ordinem dactylicum frg. 60, 4[1]) et 62, 1. Praeterea bis repetitum eum invenio in fragmento hymni in Dioscuros 16. p. II, 12 et 13, 26 et 27. Caesura semper aut post secundam arsin primae dipodiae aut post primam arsin alterius dipodiae posita, semel frg. 25, 4 neglecta est.

Dimeter catalecticus versum constituit frg. 17, 2; 25, 3; 67, 1 et saepissime frg. 16. p. II. de quo infra; cum anacrusi frg. 37, 2. Tribrachyos admissi exemplum non exstat. Utrumque metrum apud Archilochum non invenitur nisi coniunctum cum aliis ordinibus.

Trimetri catalectici exemplum est frg. 82, si quidem integrum est, ex dipodiis gravibus compositum, soluta prima arsi, quem versum Hephaestion Archilocho tribuit[2]) itemque Terentianus, iambicum acephalum appellans.[3])

Tetrametrum acatalectum invenio frg. 68, *catalecticum* frg. 23; 69; 70. Utroque versu Archilochus usus est,[4]) quem secutus Alcman diaeresin post alteram dipodiam, qua poetae lyrici posteriores abstinebant,[5]) semper usurpavit.

Basis quae vocatur trochaica pura invenitur frg. 66, 2; 90; 96; spondeus frg. 37, 3; 60, 1 et 3 et 6; aliae eius formae in fragmentis servatis non occurrunt.

---

[1]) Non recte ad hunc versum Bergkius adnotavit, esse eum logaoedicum, addens admissum esse ab Alcmane in his versibus longam syllabam, ubi brevis requiratur. Nam quae attulit exempla minime id probant, quorum alterum et tertium constant e versu Pherecrateo, quem sequitur dipodia trochaica; de primo infra dicemus.

[2]) p. 34 ed. Gaisford

[3]) de metris p. 2427 ed. Putsch.

[4]) Plut. de mus. c. 28. p. 20.

[5]) cfr. Boeckh, de metr. Pind. p. 116.

Versus numeri iambici.

Ut *monometrum* trochaicum, ita *iambicum* quoque non adhibuit nisi coniunctum cum aliis ordinibus. Antecedit ordini anapaestico frg. 20, ordini dactylico frg. 60, 5, dimetro Ionico a min. frg. 83 et 84; frg. 87.[1])

Dimeter acatalectus, quo Archilochus saepissime usus est, et pro epodo et *κατὰ στίχον* carmina componens,[2]) qua de causa Archilochium eum grammatici appellant,[3]) apud Alcmanem et versum constituit, ut frg. 76, et coniungitur cum aliis metris, ut cum dactylico frg. 35. Tribrachys nusquam admissus.

Dimetri catalectici nullum exemplum satis certum afferri potest, neque scio an poeta hunc versum ut mollem et languidum prorsus repudiaverit. Divisio enim frg. 87, quam Bergkius dedit, ut primus versus sit dimet. iamb. catal., maxime dubia est, quum neque de emendandis verbis neque de explicanda sententia satis constet.[4]) Frg. 58, 2 integrum non est idemque dici potest de frg. 74, 4, quamquam hoc loco, quum pro clausula systematis sit, ferri potest.

Trimetri acatalecti mirum est nullum exstare exemplum,[5]) neque grammatici huius versus ut ab Alcmane usurpati mentionem faciunt. Frequens autem occurrit *trimeter catalecticus,* cuius Archilochus inventor laudatur;[6]) cfr. frg. 36; 74; 75; 81. Cui versui, quantum ex fragmentis quae supersunt colligere licet, id proprium est, ut tertiae dipodiae prima thesis longam syllabam non admittat; quam ob causam aliter sic

---

[1]) si divisio, quam Bergkius dedit, recta est.

[2]) cfr. Liebel, Archilochus p. 24.

[3]) Victorin. p. 2585. Serv. Centim. p. 1818.

[4]) cfr. Welcker, Mus. Rhen. X. p. 242 sq. (Kleinere Schriften IV. p. 37 sq.)

[5]) Nam quod Welckerus, Alcm p. 13 affert, nullum est, quum hoc fragmentum recte emendatum constituat tetrametrum. cfr. frg. 13 ed. Bergk.

[6]) cfr. Liebel p. 24.

describitur, ut sit monometer trochaicus cum anacrusi et Ithyphallicus.[1]) Favent huic divisioni caesurae, quae semper et in prima aut secunda arsi versus Ithyphallici et in prima arsi monometri antecedentis positae sunt. Excipiendus est versus secundus frg. 74, in quo caesura post secundam arsin monometri et post primam Ithyphallici in iuncturam vocabuli compositi cadit, qui vero versus, si iambicam mensuram sequimur, omni caesura vacat. Tribrachys semel in prima arsi Ithyphallici admissus est. Saepissime etiam diaeresis post monometrum exstat, ut frg. 36; 81; 74, 1.

Tetrameter acatalectus occurrit in fragmentis hymni in Dioscuros 12, 1 et 13, quorum alter cum diaeresi, alter sine diaeresi positus est. Cuius metri Alcmanem inventorem laudare fortasse licet, quum quidem, quantum ex veterum scriptis patet, primus eo usus fuerit.

Tripodia acatalecta versum constituere videtur frg. 86, 1; in versum coniungitur cum tripodia catalectica in fragmentis hymni in Iovem Lycaeum, cuius strophae tertium versum efficit. cfr. frg. 1, 3; 4; 6; 7. Priscianus hunc versum trimetrum iamb. catal. appellat,[2]) cuius quarto loco modo iambus modo spondeus positus sit. Sed recte Bergkius, quum ceteri qui exstant Alcmanis trimetri hoc loco semper iambum purum servaverint, ex duabus tripodiis eum consistere cognovit.[3]) Praeter ea quae attuli metra generis iambici Alcmanius appellatur a Servio[4]) *trimeter* qui vocatur *brachycatalectus*, quae pentapodia a poetis lyricis posterioris aetatis haud saepe usurpata est.[5])

Longe frequentissimus in Alcmanis fragmentis est usus *numeri dactylici*, cuius etiam metra complura nomen eius gerunt. Singula breviter percurram.

---

[1]) cfr. Munk, Metrik p. 62.
[2]) de metr. Com. p. 1328.
[3]) Poet. lyr. p. 819.
[4]) Centim. p. 1818. cfr. Mar. Victor. p. 2591.
[5]) cfr. Munk p. 64.

Dimeter catalecticus in disyll. versum constituens non occurrit, sed aut cum basi antecedente (versus Pherecrateus), ut frg. 60, 6; 90; 96, aut coniunctus cum aliis ordinibus iisque trochaicis, qui et antecedunt, ut frg. 63, et sequuntur, ut frg. 60, 4. Versus Pherecrateus cum sequente dipodia trochaica frg. 66, 2.

Trimeter catalecticus in syll., quum Archilochus frequenter eo usus sit, Archilochius appellatus [1]) versum constituit alterum strophae hymni in Iovem ex divisione Bergkii. cfr. frg. 1, 2; 2, 2; 3; 8. Praeterea obvius est frg. 48, 1; 59, 1; 60, 7. cfr. frg. 92 et 98. Spondeus nullo loco admissus est. Cum aliis ordinibus coniunctum eum non inveni.

Trimeter catalecticus in disyll., quem Alcmanium vocat Servius,[2]) versum constituit frg. 43, 2, cum anacrusi brevi frg. 17, 1 et 24, 3, longa 24, 1.

Spondeus positus est in primo pede frg. 24, 3 et 43, 2. Caesura in secundo pede mascula, nisi in frg. 24, 3 femella. Coniunctus occurrit frg. 35, ubi ei antecedit dipodia iambica, quem versum minus recte Welckerus asynartetis annumerat.[3]) Eundem versum una syllaba demta Archilochium vocant grammatici.[4])

Dum apud Archilochum dactylici rhythmi versus trimetri praevalent, Alcman, quem secuti sunt poetae Aeolici, tetrametris saepius usus est, quorum duae formae, et catalect. in syll.[5]) et acatalect.[6]) ab eo nomen trahunt; attamen etiam Archilochus in epodis tetrametrum catalect. et in syll. et in disyll. adhibuit.[7])

---

[1]) cfr. Liebel p. 28. Hephaest. p. 39 Plot. p. 2640. Serv. p. 1820.

[2]) Centim. p. 1820.

[3]) Alcman p. 13.

[4]) Liebel p. 30. cfr. Serv. p. 1826.

[5]) Serv. p. 1820. Hephaest p. 40.

[6]) cfr. praeter not. 5 laudatos Mar. Vict. p. 2518 et 2561.

[7]) cfr. Liebel p. 28.

Tetrameter catalecticus in syll. occurrit frg. 17, 3 et 49, *catalecticus in disyll.* frg. 24, 2; 29; 33, 2 et 4, 6 et 7; 34, 2 et 4, *acatalectus* frg. 33, 1 et 3 et 5; 34, 1 et 3; 45; 46; 47. Spondeus pro dactylo raro admissus, quater tantum in fragmentis, quae exstant: 24, 2, nisi hoc loco spondeus pro basi habendus est; 33, 1 et 5; 45, 3. Tertius pes semper dactylus. Caesurae maxime variant et masculae et femellae.

Pentametri dactyl. catalectici in syll., quem Servius tetrametrum hypercatalectum appellans Alcmani tribuit,[1]) exemplum invenio frg. 51, siquidem integrum est.

Praeter tetrametrum saèpissime occurrit *versus heroicus.* Frg. 26 quatuor exstant hexametri, qui quum spondeum non admiserint, dactyli cyclici videntur esse. Simul dulcedinem quandam et suavitatem, quae argumento optime congruit, inde repetunt, quia in tribus versibus (1, 2, 4) tetrapodia quae dicitur bucolica, in tertio caesura femella κατὰ τρίτον τροχαῖον invenitur. In ceteris hexametris (frg. 39;[2]) 40; 41; 42), quum argumentum sit prorsus diversum, saepius spondeus pro dactylo et semper caesura mascula quae vocatur πενθημιμερής posita est.

Praeterea Alcmanius appellatur *heptameter catalecticus in syll.* (hexameter hypercatalectus),[3]) cuius exemplum mihi videtur esse primus versus strophae hymni in Iovem Lycaeum frg. 1.[4])

Numeri anapaestici pauci versus restant. *Dimeter acatalectus* occurrit frg. 19 et 32, et nisi duo dimetri hoc loco in tetrametrum coniungendi sunt, frg. 28.

Dimetrum catalecticum, qui paroemiacus vocatur, frg. 30 invenio.

---

[1]) Cent. p. 1820.

[2]) Ad frg. 39 cfr. Bergk, Poet. lyr. p 1385.

[3]) cfr. Serv. p. 1820.

[4]) cfr. infra p. 25.

Praeterea exstat *tripodia anapaestica*, quae Archilochia appellatur,[1] catalectica, versum constituens frg. 50 et 91, si versus integri sunt; itemque frg. 87, 3 et 4, si Bergkii descriptio metri recte se habet;[2] coniuncta cum praecedenti dipodia iambica frg. 20.

Ad haec anapaestici rhythmi metra Alcmanica vocatur *pentapodia catalectica* (Dimeter hypercatal.),[3] *trimeter catalecticus,* quod embateriorum metrum est,[4] *tetrameter catalecticus,* qui etiam Laconius appellatur.[5]

Versus logaoedici et ex rhythmo dactylico et ex anapaestico plures occurrunt, etiam cum basi et anacrusi:

Dactylic. simpl. dupl. trochaic. catal. cum basi 37, 3 (versus Glyconeus).

Idem versus acatal. cum anacrusi frg. 55 et saepissime frg. 16.

Dactyl. dupl. dupl. troch. catal. semel invenitur, coniunctus cum antecedenti dipodia iambica frg. 60, 5. Idem metrum *acatalectum* (Alcaicum decasyllabum) semel sequitur dimetrum dactylicum fr. 34, 7.

Dactyl. dupl. tripl. troch. acat. cum basi legitur frg. 60, 1 et 3.

Dactyl. dupl. quadrupl. troch. acatal. frg. 31.[6]

Rhythmi logaoedici anapaestici duae exstant formae, similes metro Archebuleo, quo Alcmanem usum esse Hephaestion affirmat.[7] Sunt frg. 43, 1 et 61, qui duo versus a spondeo incipiunt:

---

[1]) cfr. Liebel p. 28.

[2]) cfr. supra p. 17.

[3]) cfr. Serv. p. 1822.

[4]) cfr. id. ibid. Mar. Vict. p. 2522.

[5]) Serv. p. 1822. Hephaest. p. 46.

[6]) De frg. 60, 4, quem versum Bergkius ad hoc metrum refert, cfr. supra p. 16 not. 1 et Boeckh, de metr. Pind. p. 135.

[7]) p. 49.

frg. 43 — — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —

frg. 61 — — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ .

Sed possunt etiam logaoedici dactylici cum anacrusi satis recte haberi.[1])

Creticum numerum primus Thaletas, quem Alcman secutus est, in hyporchematis usurpavit.[2]) Frequenter hoc rhythmo Alcmanem usum esse, et grammatici testantur[3]) et quae reliqua sunt fragmenta. *Hexametri* duo *catalectici* leguntur frg. 38, *tetrametri acatalectici* frg. 21 et 22. *Choryambici rhythmi* exemplum satis certum afferri nequit, quia dispositio metrica frgti 59 non constat. Neque minus dubium est frg. 57:

— ⏑⏑ — — ⏑⏑ — ⏑;

quod quum quibus ordinibus adiunctum fuerit nesciamus, prorsus certe choriambicum dici non potest, nihil enim obstat descriptioni dactylicae. Attamen non est, cur hunc numerum, quo Archilochus iam usus sit,[4]) ab Alcmane abiudicemus, quum *rhythmus Ionicus,* choriambo propinquus, ei ignotus non fuerit. Huius enim rhythmi *tetrameter ion.* a min., quem Alcmanium appellant,[5]) legitur frg. 85, diaeresi in duos dimetros divisus. Praeterea invenio tres *dimetros acatalectos,* praecedente dipodia iambica, cum diaeresi post primum metrum ionicum: frg. 83; 84; 87, 2. Hunc numerum, quem ante eum, quantum scimus, nullus Graecorum poeta usurpavit, ipse fortasse ex arte auloedica Phrygum repetitum[6]) in poesin Graecam induxit.

---

[1]) cfr. Boeckh, de metr. Pind. p. 138.

[2]) cfr. Plut. de mus. c. 10 p. 8, 23

[3]) Tricha 41. cfr. Leutsch, Metrik p. 150. — Hephaestionis verba de Alcmane haec sunt p. 76: δεδηλώσθω δὲ ὅτι καὶ ὅλα ᾄσματα κρητικὰ συντίθεται.

[4]) cfr. Liebel p. 30.

[5]) cfr Serv. p 1823. Tricha 38.

[6]) cfr. Rossbach et Westphal, Metrik III. p. 301.

Quem Welckerus[1]) Alcmani tribuit versum *Sapphicum hendecasyllabum*, ab eo abiudicandus est, quia loco illò Hephaestionis, quo haec sententia nititur, ex M. M. pro *Ἀλκμαίῳ* restitutum est *Ἀλκαίῳ*.[2])

Restat ut *de versu dochmiaco,* quem Alcmanium vocari a Plotio Hermannus contendit,[3]) pauca dicam. Plotius enim Alcmanium appellat[4]) trimetrum iambicum brachycatalectum, quem versum Servius quoque Alcmani tribuit.[5]) Exemplum quidem, quod affert, prorsus alienum est; sed explicatione, quae additur: „quum novissimus pes, debens et ipse sicut duo ante se quatuor habere syllabas, duas habet", pentapodiam iambicam significari apparet. Neque ipse versus, quem pro exemplo affert,[6]) dochmiacus est, sed constat ex dipodia iambica et dimetro cretico.

Versus asynartetos, quantum ex carminum reliquiis liquet, poeta non admisit; nam quos Welckerus affert,[7]) aut per se non sunt asynarteti, ut frg. 14 (35 ed. Bergk), aut alio modo metiendi sunt, ut frg. 27 (37 ed. Bergk). Frg. 42 (ed. W.), quod ex Hephaestionis Enchiridio[8]) Alcmani tribuit, recte ab aliis Alcaeo tribuitur, quia hoc loco in MM. pro *Ἀλκμαϊκόν* legitur *Ἀλκαϊκόν*.[9])

Haec sunt quae de ordinibus et versibus Alcmani usitatis dici possunt, quibus abunde eius merita de amplificanda augendaque arte metrica elucent, quum non solum ex aliis

[1]) Alcman p. 13.
[2]) Hephaest. p. 79 ed. Gaisf. quem cfr. ad hunc locum.
[3]) Element. doctr. metr. p. 262.
[4]) p. 2643.
[5]) Cent. p. 1818.
[6]) ex Aeschyl. Sept. c. Theb. 287.
[7]) Alcman p 13.
[8]) p. 58 ed. Gaisf.
[9]) cfr. Bergk, Poet. lyr. p. 950.

poesis generibus in choricam novos numeros et ordines induxerit, sed et ipse invenisse putandus sit. Neque tamen minus meriti et laudis inde petiit, quod in componendis ex hac quasi materia metrica et adornandis strophis maximos, si poetas priores respicimus, progressus fecit. Nam quum carminum choricorum ante Alcmanem poetas partes quasdam et pericopas distinxisse constet, id quod coniuncta saltatione requirebatur, attamen metricam partium divisionem agnoscere non possumus. Erant carmina *κατὰ στίχον* quae vocantur composita, ita ut nullo indicio rhythmico, ubi finis pericoparum esset, significaretur. Eiusmodi carmina etiam Alcmani scriptorum veterum testimoniis tribuuntur, quae strophas eius isometricas commemorant. Ita Hephaestion:[1] *Ἀλκμὰν καὶ ὅλας στροφὰς τούτῳ τῷ μέτρῳ* (tetram. dactyl. acatal.) *κατεμέτρησεν.* Horum quoque carminum pericopas distinctas esse videmus, non tamen ratione metrica, sed sive tibiarum fidiumque cantu sive alio modo. Id quidem non despiciendum videtur esse, quod Ulricius affirmat,[2]) Terpandrum primum strophas musicas construxisse, i. e. finem pericoparum carminis *κατὰ στίχον* compositi, quae metris non erant definitae, modo musico descripsisse. Metricarum vero stropharum inventio Alcmani tribuenda est, quamquam etiam in hac re eum dici possit Archilochum, qui epodis et metro elegiaco[3]) speciem quandam stropharum, quae apud Alcmanem quoque occurrit, excoluerit, imitatum esse.

Huc referendum est metrum quod dicitur Alcmanium, ex Horatii carminibus notum, in quo versum heroicum ut epodus tetrameter dactylicus sequitur. Aliam huiusmodi stropham puto eam, quae est in hymno in Iovem Lycaeum

---

[1]) Enchirid. p. 40. cfr. frg. 45. — Idem legitur apud Maxim. Planud. V. p. 510. ed. Walz.

[2]) II. p. 347.

[3]) cuius inventionem ei a nonnullis tribui Plutarchus narrat de mus. p. 21, 3. cfr. Liebel p. 28.

(frg. 1—11); quam Bergkius in tria cola distinguit;[1]) constat vero ex heptametro dactylico, quem Alcmanis esse supra diximus,[2]) et duabus tripodiis iambicis, quarum altera catalectica exitum lenem et aptum efficit. Brevium harum si ita licet nominare stropharum plures, id quod ad finem choricae actionis necessarium est, in maiores pericopas coniunctae erant, quarum tamen finis metrice non erat descriptus. Quem modum componendae strophae ab Archilocho inventum Alcman primus in carmina chorica induxit; certe nemo, qui ante eum in poesi Doriensium chorica hoc novaverit, afferri potest. Attamen si Alcman in hoc stetisset, iure eum inventorem strophae laudare non possemus. Sed primo quasi iam adspectu ex fragmentis longius processisse cognoscitur. Praeter ea enim quae diximus carmina *κατὰ στίχον* aut ex distichis composita non solum systemata metrica, sed etiam quas strictiore nomine vocamus strophas lyricas invenimus. Quae rhythmorum formae quia choricae poesi propter coniunctam melodiam et saltationem maxime aptae atque accomodatae et a poetis choricis postea solae sunt usurpatae, non perperam Clemens Alexandrinus Alcmanem, qui primus iis usus sit, inventorem chori, quem sine dubio non ignorabat ante Alcmanem fuisse, praedicat dicens:[3]) *Χορείαν Ἀλκμὰν Λακεδαιμόνιος* sc. *ἐπενόησεν.* Neque minus optimo iure in canone quem vocant poetarum lyricorum Alexandrino primum locum obtinet, quum formam illam carminum, quam a Pindaro, Simonide, aliis magis tantum excultam et ornatam etiamnunc admiramur, primus creaverit. Quamobrem profecto operae pretium est, neque parvae et voluptati et utilitati, qua ratione ipse auctor systemata et strophas composuerit, cognoscere paucisque describere.

---

[1]) cfr. **Bergk** ad frg. 1.

[2]) cfr. p. 20.

[3]) **Stromata** I, 16. p. 365 ed. **Potter.**

Metra, quibus Alcmanem in systematibus usum esse ex fragmentis apparet, sunt trochaica, iambica, dactylica. Quibus metris quum Archilochus *κατὰ στίχον* usus sit, sine certa stropharum divisione et descriptione, Alcman sive catalexi sive versum breviorem ad longos *κατὰ στίχον* repetitos addens, finem et exitum strophae primus metrice distinxit atque notavit. Quae systemata Alcmanis temporibus arte musica poesi lyricae adiuncta iam exculta fuisse probabiliter dicas. Dactylica quidem (*τὸ κατὰ δάκτυλον εἶδος*) ex Olympi Phrygis arte auletica repetita esse, concludi potest ex loco Plutarchi,[1] quo Stesichorum, qui frequenter haec systemata usurpavit, inde ea repetivisse narrat. Itaque quum Archilochus iis nondum usus sit,[2] sine dubio, ut Stesichorus, sic Alcman quoque, cui ars musica Phrygum optime nota erat,[3] inde ea sibi in usum vertit.[4])

Trochaici rhythmi systema occurrere videtur frg. 18, ex Parthenio in Heram petitum, cuius metrum est *dimeter trochaicus* acatal., quem bis repetitum sequitur tripodia trochaica; esse hanc clausulam strophae, ultima syllaba longa (ancipiti)

— ∪ — ∪ — ⏓

indicatur. — *Tetrametrum* quoque trochaicum hoc modo eum adhibuisse, certo affirmari nequit, sed coniicere licet ex frg. 23; 68; 69; 70.

Systematis iambici exemplum videtur esse frg. 74, in quo trimetrum iamb. catalecticum[5] ter positum sequitur claudens systema dimeter catalecticus; sed in hoc fragmento ordinum singulorum syllabam ultimam admisit longam.[6] —

---

[1]) de mus. c. 7. p. 7, 8

[2]) Plut. de mus. c 7. p. 7, 9.

[3]) cfr. frg. 82 et 112.

[4]) cfr. Rossbach et Westphal, Metrik III. p. 38.

[5]) de quo cfr. supra p. 17.

[6]) cfr. Munk, Metrik p. 195.

Aliud eius generis systema exstat frg. 76, quod ex dimetris iambicis acatalectis compositum est κατὰ στίχον repetitis; clausula deest, sed dimetrum catalecticum fuisse consentaneum videtur.

Haec generis duplicis systemata, quum partim propter brevitatem ordinum comicum quoddam et ludicrum spirent, alia ex ordinibus in thesin desinentibus composita mollem et languidam naturam prae se ferant, in levioris tantum argumenti carminibus, in amatoriis, hymenaeis, una partheniorum parte ab Alcmane, ut postea a poetis melicis et comicis usurpata sunt. [1])

Dactylici numeri systemata, quae ex Phrygum modis musicis recepta esse supra diximus, [2]) severioris argumenti partheniis, quibus Dorius modus consentaneus erat, [3]) saepissime Alcman adhibuit. Exstant duo exempla (frg. 33 et 34) ex tetrametris alternatim acatalectis et catalecticis composita, nisi binos tetrametros in octametrum coniungere malis. Clausula alterius systematis (frg. 33) est tetrameter catal. in disyll. post ter repetitam octapodiam positus; alterius (34) clausula est logaoedica: tetrameter dactyl. adiecta dipodia trochaica. Spondeum loco dactyli raro invenimus. Aliud systematum genus ex metris *dactylicis et anapaesticis mixtum* colligere licet ex frg. 28 — 33, quae quum eiusdem argumenti sint ex mythologia Ulixis petiti, ex eodem carmine videntur reliqua esse. [4]) Quantum dignosci potest, tetrametri dactylici et dimetri anapaestici sese excipiunt, quam eandem compositionem Stesichorus et Ibycus postea excoluerunt. [5]) Versus logaoedicus, qui frg. 31 legitur, pro clausula strophae haberi possit.

---

[1]) cfr. Rossbach et Westphal III. p. 135 et 153.

[2]) cfr. p. 26.

[3]) cfr. Plut. de mus. c. 12. p. 10, 12.

[4]) cfr. Bergk in Philol. XVI. p. 590 sq.

[5]) cfr. Rossbach et Westphal III. p. 40.

De compositione ordinum ex numero cretico et ionico, num *κατὰ στίχον* an systematica fuerit, nequit quidquam statui.

Praeter haec quae descripsi systemata non solum breves strophae, quibus postea poetae Lesbiaci utebantur, sed etiam longiores, quales Pindari et Simonidis sunt, apud Alcmanem inveniuntur. Prioris generis stropha occurrit frg. 25, ex tribus colis composita: trochaico dimetro acatal. cum anacrusi, dimetro acatalecto et dimetro catalectico. Similis est stropha frg. 37, cuius membra sunt dimeter trochaicus acatal. cum anacrusi, dimeter catal. c. anacr. et versus Glyconeus.

Maioris spatii stropha lyrica exstat in pulchro illo et claro frg. 60,[1]) cuius argumenti venustati elegantia metrorum optime accomodata est. Eius strophae, quum omnino secundum artis leges constructa sit, facile singulae partes: proodus, pars primaria, epodus distinguuntur. Est logaoedica, Lydiae, ut coniicere licet, harmoniae.[2]) Forma eius haec:

Proodus:

×̲ ∪ –́ ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪ – ∪

–́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪

Pars primaria:

×̲ ∪ –́ ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪ – ∪

–́ ∪ ∪ – – –́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪

– –́ ∪ – –́ ∪ ∪ – ∪ ∪ –

Epodus:

×̲ – –́ ∪ ∪ – –

–́ ∪ ∪ – ∪ ∪ – .

---

[1]) de quo cfr. Welcker, Alcman p. 24 sq.

[2]) cfr. Bode IIb. p. 18.

Reliquum est, ut de fragmento Alcmanis nuper reperto disputem; cuius quum metricam rationem, qui adhuc tractaverunt, non satis recte perspexerint, amplius aliquid de eo dicam necesse est. Inventum est hoc fragmentum in papyro admodum mulcato scriptum anno 1855 a Muriettio in necropoli prope alteram pyramidem ad Sakkarah[1]) et primum publici iuris factum anno 1863 ab Eggero in commentariis qui dicuntur „Mémoires d'histoire ancienne et de philologie", [2]) in Germania primum a Brinkio tractatum anno 1864.[3]) Praeterea de eo scripsit Bergkius in Philologo, [4]) iterum in editione Poetarum lyricorum Graecorum tertia, [5]) tertio in Appendice eiusdem libri.[6]) Charta ex commentariis supra laudatis exscripta exstat in Philologo anni 1864, adiuncta commentationi Brinkii, quam repetendam curavit Bergkius, Poet. lyr. Graec. ed. III. p. 824, idemque aliud exemplar accuratius ex sylloge chartarum Parisinarum[7]) descriptum edidit l. l. p. 1378 sq. Est haec tabula, de qua si accuratius aliquid cognoscere velis, adeas libros supra laudatos, in tres columnas descripta, quae tamen eius sunt conditionis, ut in prima pauca tantum, in tertia fere nihil certum neque de verbis neque de metro statui possit; altera satis integra servata est, de qua sola hoc loco dicere ad nostrum propositum sufficiet.

Quum Eggerus superesse in hac papyro reliquias Alcmanis[8]) hymni in Dioscuros contenderit, Brinkius, hanc sen-

[1]) cfr. B. ten Brink in Philol. XXI. p. 126.

[2]) pro 1863 p. 159—175. cfr. T. Brink l. l.

[3]) Philol. XXI. p. 126 sq.

[4]) XXII. p. 1 sq.

[5]) p. 824 sq.

[6]) p. 1378 sq.

[7]) Notices et extraits de Manuscrits, XVIII. 2. p. 416 sq. n. 71. Tab. L. cfr. Bergk p. 1378.

[8]) Esse Alcmanis hoc fragmentum satis perspicue probavit Bergkius, Poet. lyr. Graeci p. 825.

tentiam non probans, suam in hunc modum exposuit:[1] „Alcmanis autem carmina fuere sex. Itaque ne putemus, omnem nobis syllogen superesse: est, ut dixi, fragmentum voluminis. In eo leguntur versus et versuum partes decerptae ex carminibus Alcmanis, paedagogico aliquo consilio nobis incomperto collectae... Versiculi plerumque non cohaerent, periculosum adeo, contextum quendam horum fragmentorum velle efficere.“ Sed optimo iure Bergkius hanc sententiam prorsus perversam refutavit,[2] quum et contextu versuum ex uno carmine continuum fragmentum nobis exstare satis pateat, et multis indiciis esse id ex hymno in Dioscuros petitum satis probetur.[3] Metricam autem rationem neque ipse recte perspexit; nam quod metra esse lege soluta et strophica divisione, quamquam pericopas sed dispares dignoscit, carere affirmat,[4] utrumque falsum esse iudico. Strophas enim ex versibus omnino paribus compositas in hoc fragmento distinguere mihi videor. Quod ut demonstrem, alterius paginae versus (nam, ut dixi, primae et tertiae columnae metra propter miseram neque integram verborum conditionem constitui nequeunt) hoc loco repetere placet. Verba ex tabula, quam Bergkius in Appendice editionis tertiae Poetar. lyric. Graec. p. 1380 edidit, descripta; quae ad explendum contextum Brinkius aut Bergkius recte coniecerunt, uncis inclusa addidi; cetera quaeque ipse emendanda puto, continuis annotationibus indicavi.

[1]) Philol. XXI. p. 127.

[2]) Philol. XXII p. 1 et 2.

[3]) cfr. quae Bergkius attulit Philol. XXII. p. 2 et Poet. lyr p. 825

[4]) cfr. Philol l. l.: Das Gedicht entbehrt der strophischen Gliederung. — Poet. lyr. Gr. p. 825: Carmen hoc non minutis strophis constat, quemadmodum hymnus in Iovem Lycaeum, sed lege est solutum; tamen hic quoque pericopas dispares facile dignoscas.

ἄλαστα δὲ
ἔργα πάσον κακὰ μησαμέναι.
(ἔ)στι τις σιῶν τίσις·
ὁ δ'(ὄλ)β(ι)ος ὅστις εὔφρων
(ἁ)μέραν (δι)απλέκει
ἀκη... τος· ἐγὼν δ' ἀείδω
Ἀγιδ(ώ)· τὸ φῶς ὁρῶ' —
ρ' (ὥςτ') ἅλιον, ὅν περ ἁμῖν
Ἀγιδὼ μαρτύρεται
Φήν(η)ν· ἐμὲ δ' οὔτ' ἐπαινέν
οὔτε .ωμασθαι νιν.. ἁ κλεννὰ
οὐδὲ Ἀὼς ἐῆ· δοκέει γὰρ ἤμεν αὔτα
ἐμπρεπὴς τὼς ᾧπερ αἴ τις
ἐν βότοις στάσειεν ἵππον
ΓΜΓΟΥ (ἀ)εθλοφόρον καταχά(πο)δα.

ἄλαστα δὲ ex ultimo versiculo paginae primae petitum propter contextum adscripsi.

V. 1. Pro πάσον Brinkius πᾶσιν Coniicere possis, πάθον scribendum esse, (cfr. Soph. Oed. Col. 543), nisi πάσον pro πάθον more Laconico dictum esse malis. cfr de σ pro θ Crampe de dial. Lacon. p. 52. Ahrens II p. 66.

V. 3. ὁ δ' ὄλβιος T. Brink.

V. 4. Brink: ἀναπλέκει sc. χαίταν.

V. 5. Brink. et Bergk: ἀκήρυκτος, quod vero neque metro horum versuum (cfr. infra) neque sententiae satisfacit. Requiritur vocabulum trium syllabarum, ut ἄκλαυστος, ἄκλητος vel simile quid.

V. 6. Bergk: Ἀγιδῶσε.

V. 7. ὥςτ' addendum putavi ex iis quae Bergkius de reliquiis litterarum annotavit p. 1382. — Pro ἅλιον ἅλιος aut ἁλίω legendum est.

V. 9. Post Φήνην distinguendi notam addidi.

V. 10. Bergk: μωμάσθαι νιν ἁ κλεννά, quod neque metro convenit (requiritur enim, ut infra demonstrabo, hoc metrum: ́∪–∪̄ ́∪∪–∪–∪–∪̄) et lacunam inter νιν et κλεννά charta indicat. cfr. tabulam laudatam Phil. XXI.

V. 11. οὐδ' Ἀὼς scribendum est.

V. 12. Brink: ὥςπερ Ἀώς. Charta: ωΙΠΕΡΑΙƆΙC, ex quo recte Bergk· ᾧπερ αἴτις; antea αὖτις coniecerat.

V. 13. βότοις scripsi; charta: BOTAIC.

V. 14. Γύγου Bergkius proposuit et idem reiecit propter Genitivi formam ου Doriensibus inusitatam. cfr. supra p. 6. not. 1. — ταγόν coniicias.

(Πα)ῦ'(δ')ὑ(πο)πετριδίων ὀνείρων.
Κωὺχ ὁρῇς; ὁ μὲν κέλης
Ἐνετικός· ἁ δὲ χαίτα
τᾶς ἐμᾶς ἀνεψιᾶς
Ἀγησιχόρας ἐπανθεῖ
(χ)ρυσὸς (ὥ)ς ἀκήρατος
τό τ' ἀργύριον πρόσωπον·
διαφράδαν τί τοὶ λέγω;
Ἀγησιχόρα μὲν αὕτα·
ἁ δὲ δευτέρα πεδ' ἀηδωι τὸ εἶδος
ἱπποσειβην... κόλαξ Διὸς δραμεῖται.
Ταὶ πελειάδες γὰρ ἁμῖν
Ὀρθίᾳ φάρος φεροίσαις
νύκτα δι' ἀμβροσίαν ἅτε σ(ή)ριον
ἄστρον αὑειρομέναι μάχονται.

V. 15. **Brink**: ποττῶν. **Bergk**: παῦ' δ', antea ποῦ δ'. — ὑποπετριδίων per metathesin pro ὑποπτεριδίων, cfr. **Bergk** p. 824.

V. 16. Κωὺχ scripsi. **Charta** Γωὺχ, **Bergk** Ἦ οὐχ.

V. 20. **Brink**: ἀρύσας.

V. 24. **Brink**: ἀηδόνεως; **Bergk**: ἀηδῷ τὸ εἶδος. Equidem ἀηδονὶν τὸ εἶδος legendum coniicio et propter metrum et quia Alcman verba deminutiva in partheniis saepius usurpare solet. cfr. Cram. Anecd. Oxf. IV. 273, 12: ἢ διὰ τὸ πρέπον, ὡς παρ' Ἀλκμᾶνι ἔχοντι τὰς παρθένους ὑποκοριστικαῖς χρωμένας λέξεσι· πρέπει γὰρ τοῦτο παρθένοις. cfr. Becker, Anecd. II. p. 855.

V. 25 scripsi, qualem exhibet charta. — ἱπποσύνην κόλαξ Διὸς δραμεῖται, quod **Brinkius** coniecit quodque de Tantalo dici putat, scripturae traditae non satisfacit; est enim lacuna inter ἱπποσειβην et κόλαξ. Emendatio probabilis non liquet.

V. 27. Ὀρθίᾳ cum **Bergkio** scripsi. Charta: ΟΡΘΡΙΑΙ — De cultu Dianae Orthiae apud Lacedaemonios cfr. **Preller**, Mytholog. I. p. 240. **Paus.** III. 16, 7; de saltationibus virginum in hoc cultu cfr. **Plut.** Thes. 31, de raptu Helenae loquens: Ἦλθον μὲν εἰς Σπάρτην ἀμφότεροι καὶ τὴν κόρην ἐν ἱερῷ Ἀρτέμιδος Ὀρθίας χορεύουσαν ἁρπάσαντες ἔφυγον.

V 29. ἄστρον, **Bergk**; charta 'ΑCΤΙΟΝ. — αὑειρομέναι pro ἀϜειρομέναι novum digammatis in vocalem υ mutati exemplum. cfr. Ahrens, de ling. Graec. dial II. p. 51; I. p 35. **Crampe**, de dial. Lacon. p. 20.

30. Οὔτε γάρ τι πορφύρας
τόσσος κόρος, ὥςτ' ἀμῦναι,
οὔτε ποικίλος δράκων
παγχρύσιος, οὐδὲ μίτρα
Λυδία νεανίδων

* * *

A versu secundo huius columnae (ἔστι τις σιῶν τίσις) nova pars carminis, quum poëta a mythologia se avertens ipsas chori virgines alloquatur, novaque metrorum compositio incipit. Est vero compositio strophica, cuius forma haec:

´– ⏑ – ⏑ ´– ⏑ ⏓ }
⏒ ´– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒ } quater repetitur.

´– ⏑ – ⏒ ´– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏒
´– ⏑ – ⏒ ´– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏒
´– ⏑ – ⏒ ´– ⏑ – ⏒
´– ⏑ – ⏒ ´– ⏑ – ⏒
´– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑
´– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

Duas eiusmodi strophas integras legimus, alteram a versu 2 ad 15, alteram a v. 16 ad 29. A v. 30 eadem stropha incipit, cuius tamen quinque tantum versus integri exstant (30—34); ceteri in columna tertia scripti nequeunt ita emendari, ut metrum statui possit; attamen si singulorum versuum longitudinem spectamus, [1]) idem metrum adhibitum videtur esse.

[1]) cfr. VV. 5 et 6, 9 et 10, 19 et 20 huius columnae in Bergkii Poet. lyr. p. 1381.

Ut conveniat huic formae, quam descripsimus, scriptura tradita, non multis opus est emendationibus; ubi vero plane non congruit, etiam ea est, ut propter lacunas et vocabula inaudita contextus explicari non possit.

Priores octo versus utriusque strophae (2—9, 16—23) prorsus integri sunt, ita ut de iis dubitari nequeat. V. 5 ut dixi, pro ἀκήρυκτος, quod Brinkius et Bergkius coniecerunt, vocabulum trium syllabarum requiritur. Praeterea V. 17 vocabuli Ἐνετικός altera syllaba arsi prolongata est, quod, quum sit nomen proprium, nihil offensionis in se habet. — V. 22. prima arsis trochaei soluta est, nisi in vocabulo διαφράδαν synizesin admittere malis.

Neque minus certum est metrum ceterorum strophae versuum, quorum dimetri trochaici acatal. (VV. 12 et 13, 26 et 27) integri sunt, tetrametri dactylici V. 14 emendatione, V. 28 scriptura tradita probantur, quod idem de versibus logaoedicis 15 et 29 dicendum est. Unum quod in dubium vocetur restat, ut versuum 10 et 11, 24 et 25 quam dedi mensuram confirmem. Verum etiam hoc metrum constat. Nam ex duobus versibus logaoedicis, quos utrique strophae tribui (VV. 10 et 11, 24 et 25), in priore stropha versus secundus (V. 11), in altera versus primus (V. 24) hoc metrum aperte ferunt,[1] ut de reliquis duobus (10 et 25), etiamsi aliud indicium nullum esset, nemo posset dubitare. Qui iidem tamen versus, quamquam emendatio non liquet, rectam esse mensuram quam dedi demonstrant, quum prioris versus pars prior (V. 10. οὔτε. ὠμάσθαι), alterius altera (V. 25. κόλαξ Διὸς δραμεῖται) metro congruat; cetera lacunosa (V. 10) aut corrupta (V. 25).

Haec divisio metrica etiam ipsa charta probatur, in qua singularum stropharum finis linea transversa post versus 15 et 29 significatus est.[2])

---

[1]) cfr. quae ad hos versus adnotata sunt.

[2]) cfr. exemplum chartae, quod dedit Bergkius Poet. lyr. Gr. p. 1380.

Iam eo disputationis venimus, ut quae sint Alcmanis de metrica arte merita, plane perspexerimus. Si igitur exposita breviter strictimque licet repetere, poeta noster non solum nova metra et invenit et ex aliis poesis generibus in choricam induxit, sed etiam eam, quae optime lyricis carminibus convenit, formam primus usurpavit, systemata dico et strophas maioris minorisve spatii. Hanc strophicam carminum descriptionem Plutarchus respicere videtur illis verbis: [1]) *ἔστι δέ τις καὶ Ἀλκμανικὴ καινοτομία* (intell. *ῥυθμοποιίας*), id quod ex verbis quae addit: *καὶ Στησιχόρειος* aperte elucet. In eodem enim capite quum antea, quid Terpander, cuius carmina *κατὰ στίχον* composita fuisse constat, novaverit, postea, ut dixi, Stesichori commemoret *καινοτομίαν*, quae epodorum usu continetur, [2]) de Alcmanis inventione rhythmica, qualis fuerit, nemo potest dubitare. Nam inter compositionem *κατὰ στίχον* et plane perfectam illam chorici carminis formam, quae constat ex stropha, antistropha, epodo, quid aliud esse potest, quam solus stropharum usus sine epodo, cuius profecto nullum in Alcmanis fragmentis vestigium invenitur. Esse autem artem metricam vere perfectam eo, quod Alcman novavit, Plutarchi verbis, quae ad locum laudatum addit: *καὶ αὗται* (sc. *καινοτομίαι*) *οὐκ ἀφεστῶσαι τοῦ καλοῦ* plane apparet.

Metricis his inventionibus etiam musicas contineri, et e contextu capitis Plutarchi, quod laudavimus, [3]) evincitur, neque qui arctissimi vinculi, quo ars musica poesi lyricae coniuncta fuerit apud Graecos, rationem habet, unquam infitiabitur. Attamen quid de musice Alcman meruerit, quum huius artis apud Graecos historia nondum satis sit explicata et aperta, statui non potest. Tres autem modi musici tum in Graecia noti, Dorius, Lydius, Phrygius, quos Boeckhius primitivos appellat, [4]) omnes ab Alcmane usurpati sunt. Do-

---

[1]) de mus. c 12. p. 10, 12.
[2]) cfr. Bode II b. p. 75. Welcker, Kleinere Schriften I p 169 sq
[3]) de mus. c. 12.
[4]) de metr. Pind p. 214.

riam enim harmoniam partheniis saepe eum adhibuisse Plutarchus auctor est:[1] *Οὐκ ἠγνόει δὲ* (sc. Plato), *ὅτι πολλὰ δώρια παρθένια Ἀλκμᾶνι... πεποίηται, ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι προσόδια καὶ παιᾶνες.* Referenda huc parthenia sunt dactylico rhythmo composita.[2] Phrygium modum ipse poeta commemorat:[3] *Φρύγιον αὔλησεν μέλος Κερβήσιον.* Neque vero Lydium modum ignorabat, id quod iam inde colligere possis, quia ipse natione Lydus fuit, etiamsi non exstarent carminum reliquiae, quorum rhythmo hanc harmoniam optime convenire notum est. Quibus annumero praeclarum illud fragmentum 60, logaoedico metro constructum,[4] neque minus systemata numeris trochaicis composita,[5] quorum levi mollique gradui mollities huius harmoniae maxime apta est.

Organa, quibus ad ducendos choros usus est, lyram et tibiam ipse nominat;[6] neque magadin Lydiam ignoravit, cuius tamen usus, si fragmenti verba acriter inspicimus, Spartae non videtur admissus fuisse.[7]

Tibicines, qui choris eius concinebant, nominantur tres ab Athenaeo, natione Phryges: Sambas, Adon, Telos.[8]

---

[1]) de mus. c. 17. p. 13, 8.

[2]) cfr. Boeckh, l. l. p. 280.

[3]) frg. 82.

[4]) cfr. supra p. 28. Müller, Dorer II. p. 370. Bode IIb. p. 19.

[5]) cfr. Boeckh, l. l. p. 287.

[6]) cfr. frg. 35 et 66; 78 et 82.

[7]) cfr. frg. 91: μάγαδιν δ' ἀποθέσθαι.

[8]) Athen. XIV. 624 B. cfr. frg. 112.

III.

CUIUS GRÆCORUM NATIONIS ARTI LYRICÆ ALCMANIS POESIS SIT TRIBUENDA.

Postquam de carminum exteriore forma diximus, non alienum est in capite tertio de argumento eorum, de indole poetae eiusque poesis aliquid disputare. Attamen ut ex omni parte haec quaestio absolvatur, quum propter paucas, quae de Alcmane ab auctoribus veteribus traditae sunt, memorias, tum propter fragmentorum, quae servata sunt, exiguitatem fieri non potest, neque perverse Müllerus ea de re iudicat:[1]) Alkman gehört zu den Dichtern, deren Bild im Laufe der Zeit am meisten verblichen ist, so dass wir es am wenigsten zu erneuern hoffen dürfen.

Inde sententiae illae virorum doctorum valde inter se discrepantes, quorum quum alius, Homero Alcmanem comparans, poesin lyricam e regione populari in sublime artis fastigium ab eo vocatam esse contendat,[2]) alius eum personam poetae provincialis exuisse et ad excolendam extra fines Laconicos poesin quidquam effecisse infitiatur et compositionem vere artificiosam ab eo abiudicat.[3]) Ex una tamen ratione, si, cuius Graecorum nationis arti lyricae poesis Alcmanica attribuenda sit, quaerimus, ad explanandam indolem quae exstant carminum reliquiae, adhibitis aliis veterum scriptorum testimoniis, satis mihi videntur esse. Nam neque de hac

---

[1]) Literaturgesch. I. p. 356.

[2]) Ulrici II. p. 386.

[3]) Bernhardy, Grundriss II. p. 468.

re omnes consentiunt, sed alius naturam Laconicam in eius carminibus cerni et declarari existimat,[1]) alius Aeolicum morem et indolem ei vindicat.[2]) Quam quaestionem, quantum possum, ut accurate explicem, in hoc capite mihi propositum est.

Nationes Graecae ut indole, moribus, institutis, dialectis, etiam poesis lyricae ingenio plurimum inter se differebant, id quod et per se concludi potest et historia artis lyricae tam dilucide evincitur, ut amplius de ea re dicere supervacaneum sit. Sed quum unam se gentem scirent et mutuo usu atque commercio arctissime inter se coniunctae essent, quid mirum, hac loquendi audiendique vicissitudine etiam poesis lyricae quae cuiusque nationis propria erant, inter se mixta et confusa esse? Haec proprietatum inter singularum nationum poetas lyricos communicatio et quasi commercium etiam lingua, qua utebantur, perspicua est. Commixtionem enim illam dialectorum, quae poetarum Graeciae lyricorum propria in nullis fere aliarum gentium litteris invenitur, non fuisse arbitrariam et ex libidine poetae, sed ex consilio atque bene consideratam, et ex ipso Graecorum ingenio, quo aptissimam cuique rei et argumento formam adhibere sciebant, verisimile est, et quid sibi velit, viri docti diu satis cognoverunt. Progressus artis lyricae, prout a singulis nationibus profectus ceterisque usurpatus est, hoc modo significatur et exprimitur.[3])

Quod si constat, iam primum quaerendum est, quanam dialecto Alcman usus sit. Apparet vero et fragmentis et te-

---

[1]) Idem II. p. 469: Er darf für den treuesten Wortführer der spartanischen Bürgerlichkeit gelten.

[2]) W. Teuffel in Pauly, Encyclopaed. s. v. Alcman (ed. II.).

[3]) cfr. Ahrens in Actis conc. Philol. German. XIII. (Göttingen 1853) p. 56: Vielmehr ergibt die nähere Betrachtung, dass die Art der Dialectmischung überall von dem Entwicklungsgange der griechischen Literatur in ihrem Verhältnisse zu den verschiedenen Stämmen abhängig ist.

stimoniis veterum, ex tribus dialectis apud eum formas inveniri: ex Laconica, Aeolica, epica.[1]) Quarum quum epica apud omnes poetas lyricos reperiatur et usu fabularum, quibus Alcmanis carmina abundant, facile explicetur, nihil iam de ea dicendum est. Quod ad ceteras, si quaesiveris, quonam modo et qua ratione inter se iunctae sint, ab Ahrensio, diligentissimo illo et acutissimo Graecarum dialectorum investigatore, satis demonstratum est, praevalere dialectum Laconicam, intermixtis hic illic formis Aeolicis.[2]) Idem de indole carminum affirmandum et statuendum est, ingenium, mores, cultum Lacedaemoniorum praecipue iis declarata et expressa esse, ita tamen, ut pauca Aeolum poesis propria admixta et quasi intexta sint. Quam ob causam Laconicus potissimum poeta iudicandus et appellandus est. Cui rei convenit nomen Alcmanis scriptoribus antiquis usitatum: *ὁ Λακωνικός* et *ὁ Λακωνικὸς ποιητής*,[3]) quo nomine minus origo poetae — erat enim natione Lydus[4]) — quam lingua et indoles carminum significantur. Sed iam ad singula quae huius Laconicae naturae indicia ex fragmentis afferri possunt transeamus.

Proprium erat poematum lyricorum apud gentes Doricas, ut a choro, non a singulis canerentur,[5]) ita quidem, ut poesis Dorica et chorica idem significent. Quare omnis eruditio musica, quae Spartae minime neglegebatur,[6]) cuius-

[1]) cfr. Ahrens l. l. p. 68 sq.

[2]) l. l. p. 68 sq. et de ling. Graec. dialect. II. p. 4. not. 6; p. 19 not. 1. – cfr. Suid. s. v.: κέχρηται δὲ Δωρίδι διαλέκτῳ, ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι. Apollon. multis locis. — Himer. Orat. V. 3.

[3]) Aristid. I. p. 49; II. p. 40 et 508. Plut. Lycurg. c. 21. Apul. Apolog. p. 11. (Bip.).

[4]) cfr. Welcker, Alcman p. 3 sq. Corsin. Fast. Att. III. p. 50.

[5]) cfr. Mueller, Literaturgesch. I. p. 295. Bode II b. p. 4. Ulrici II. p. 67.

[6]) cfr. Ulrici l. l. et quos ibi attulit locos. cfr Terpand. frg. 6. (ed. Bergk)

que etiam puellae participes erant,[1]) id agebat, ut iuvenes virginesque chorico cantui ac saltationi apti et idonei essent; et quo perfectionis in choris agendis pervenerint, laudibus veterum scriptorum satis ostenditur.[2]) Huic mori Lacedaemoniorum Alcman indulgens carmina condidit, non ut a singulis, sed ut a choro canerentur. Iam supra ei usum longarum stropharum, quales choricis tantum poematibus adhibebantur, vindicavimus.[3]) Quae cantica si forma demonstratur a choris acta esse, in ceteris fragmentis, quorum strophae breviores et Aeolicis similes sunt, alia exstant indicia, quae idem manifesto evincunt. Ut nonnulla afferam, hymnum in Iovem Lycaeum[4]) a choro virginum pronunciatum esse, frg. 1, 3 argumento est:

νεοχμὸν ἄρχε παρσένοις ἀείδεν.

Idem de hymno in Dioscuros[5]) dicendum est, quum et sententia choricam actionem requirat, et scholion, quod in fine columnae tertiae legitur:[6]) *χορ(ος) οτε μεν εκ ια παρθενων...*, planis verbis idem confirmet. Definite chorus nominatur frg. 45:

Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα, θυγάτηρ Διός,
ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων, ἐπὶ δ' ἵμερον
ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.

item frg. 86:

Ἅδοι Διὸς δόμῳ
ὁ χορὸς ἐμὸς καὶ τοί, Ϝάναξ.

Frg. 98: *καλλὰ μελισδομέναι* ex forma participii chorum virginum coniicere licet. Carmen illud, cuius argumentum

---

[1]) cfr. Mueller, Dorer II. p. 322 Manso, Sparta I. 2. p. 164.

[2]) cfr. Pind. frg. inc. 110 (Boeckh p 663); p. 39. not. 6. Athen. XIV. p. 628 et 633 A.

[3]) cfr. supra p. 28.

[4]) frg. 1—11. — de metro cfr. supra p. 24.

[5]) frg 12—17.

[6]) Bergk p. 829.

ex mythologia Ulixis petitum est,[1]) a choro virginum cantatum esse, Schol. Hom. Od. ζ 244 dicit: Ἀλκμὰν παρθένους λεγούσας εἰςάγων. Sententia idem demonstratur frg. 25; 26; 66.

Quod si constat, ut a choro publice proferrentur, Alcmanis carmina composita esse, attamen hoc unum non sufficit ad probandum cognomen Laconici poetae; nam etiam apud ceteras nationes poemata chorica nobis obveniunt. Sed eo potius in usu chori Alcman et poetae Aeolici inter se differunt, quod, quum illi ea carmina, quibus ipsorum sensus et affectus exprimerent, per singulos referrent, Alcman, ad Lacedaemoniorum indolem et morem se accommodans, etiam talis argumenti carminibus chorum adhibebat. Quod si cui mirum et novum primo adspectu videtur, legat illos, quos supra communicavi,[2]) versus hymni in Dioscuros; ex quibus quum, qua ratione in huiusmodi carminibus Alcman choro usus sit, optime intelligatur, pauca de iis addam.[3]) Apparet enim ex reliquiis huius hymni, non semper totum chorum in referendis carminibus egisse, sed in iis partibus, quibus poeta ipsius animi sensus edicebat, sermones alternos inter poetam chori ducem et singulas chori virgines sodales admissos esse. Nam postquam primis strophis certe a toto choro cantatis mythologia Dioscurorum descripta est — quae tamen pars tam mutila, ut praeter caedem Hippocoontidarum[4]) nihil certum argumenti statui possit — a versu 2. pag. II. fabula omissa per generalem sententiam (VV. 2—5) orationem poeta traducit et convertit ad ipsas chori virgines, quarum duae Agido et Agesichora, maximis laudibus efferuntur (VV. 5—29). Primos versus (2—14) Agidus laudem ferentes a poeta ipso cantatos esse ex argumento et verbis, quae toti choro apta non essent, coniicere licet; idem vocabulo

[1]) frg. 28 · 32. cfr. Bergk, Philol XVI. p. 590 sq

[2]) cfr. p. 31 sq.

[3]) cfr. Bergkii commentarium ad hos versus p 832 sq.

[4]) Columm. I. 1—12.

χορηγός,[1]) quod ad v. 10 adscriptum est, probatur. V. 15 alius personae est, fortasse virginis antea celebratae, quae nimias laudes poetae interrumpit et versibus 16—25 Agesichorae pulchritudinem praedicat. Versus 26—29,[2]) quibus duae virgines antea nominatae simul laudantur et astro per noctem fulgido comparantur, a toto choro dictos esse, ex numero plurali *ἁμῖν* (v. 26) et *εἰκάζουσιν* (in scholio addito in fine columnae II.) concludendum est. De sequentibus strophis, quum nimis mutilatae sint, nihil certi erui potest. Sed ut ad propositum redeam, id quoque ex iis, quae de hoc carmine dixi, concludendum est, Alcmanem mori Lacedaemoniorum, omnia cantica per choros agere, etiam in iis carminum partibus, quibus argumento et sententiis Lesbiacorum poetarum poesi propinquus est, indulsisse.

Eadem natura Laconica occasionibus carmiuum et argumento comprobatur. Ut omnis vitae ratio et institutio apud gentes Doricas et imprimis apud Spartanos in publico et foro versabatur, quum vita privata et domestica pro viribus opprimeretur, ita poesi lyricae, id quod iam apparatus chori postulabat, a rebus et factis publicis, quae ad omnes pertinebant, argumenta erant repetenda.[3]) Sacra deorum, certamina iuvenum virginumque, epulae, nuptiarum solemnia carminibus poetarum celebrabantur; alia poesis lyrica, quae res privatas et domesticas praedicaret, Spartae non colebatur. Quam ob rem Alcmanis quoque carmina,[4]) quantum eorum ratio et natura ex fragmentis cognosci potest, a rebus publicis exordium capiunt. Magna pars generi hymnorum tribuenda est, quorum maxime celebrati illi in Iovem Ly-

[1]) de vocabulo χορηγός cfr. Athen. XIV. 633 A.

[2]) non ut Bergkius ad hunc locum affirmat, VV. 22—29, id quod demonstratur lineola, quae in manuscripto inter VV. 25 et 26 interposita est.

[3]) cfr. Mueller, Dorer II. p. 363. Ulrici II. p. 68.

[4]) Sex libros Suid. s. v. commemorat; de eo, quod addit: καὶ Κολυμβώσας cfr. Meineke, Fragment. comicor. Graecor. I. p. 101.

caeum [1]) et in Dioscuros. [2]) Exstant etiam fragmenta hymnorum in Iunonem (frg. 18), in Apollinem (frg. 19), in Artemin (20—22), in Aphroditen (23). Paeanis, qui ad epulas canebatur, exemplum est frg. 24.

Quantum hymenaeorum et epithalamiorum numerum fecerit, argumento est illud Leonidae epigramma: [3])

Τὸν χαρίεντ' Ἀλκμᾶνα, τὸν ὑμνητῆρ' ὑμεναίων
κύκνον, τὸν Μουσῶν ἄξια μελψάμενον.

Annumeranda iis videntur frg. 74 et 60. [4]) Neque minus Thaletae poesin secutus hyporchemata composuit, quia hoc carminum genus paullo ante a Thaleta excultum et in Peloponnesum inductum [5]) Spartae multum colebatur. [6]) Frg. 38 et propter metrum Creticum et propter argumentum satis iocosum certe hyporchematis est.

Imprimis vero carminum illorum, quae parthenia appellantur, auctor poeta noster fuit, immo fere omnia quae condidit cantica parthenia fuisse, coniicere possis ex verbis Stephani Byzantini, qui frg. 25 laudat: [7]) *ἐν ἀρχῇ τοῦ δευτέρου τῶν παρθενείων ᾀσμάτων.* Sed antequam de hac re aliquid statuamus, quaerendum est, quibusnam carminibus hoc nomen veteres tribuerint; dissentiunt enim inter se scriptores. [8]) Falsa sine dubio est grammaticorum illa distinctio facta inter *παρθένια* et *παρθενεῖα*, [9]) quorum altera sint carmina a choris virginum cantata, altera in virgines scripta. Nam quis unquam cantica amatoria Alcaei, Anacreontis, aliorum in vir-

---

[1]) frg. 1—11. — cfr. Himer. Orat. V. 3.

[2]) frg. 12—17. — cfr. Schol. Pind. Pyth. IV. 318.

[3]) Jacobs, Anthol. Graec. I p. 311.

[4]) cfr. Bode II b. p. 25.

[5]) cfr. supra p. 11.

[6]) cfr. Bode II b. p. 33. Bernhardy II. p. 452.

[7]) s v. Ἐρυσίχη.

[8]) Locos congessit Boeckh, Pind. fragm. p. 589. cfr. Welcker, Alcman p. 10.

[9]) cfr. Schol. Arist. Av. 920. Athen. XIV. 631 D

gines composita parthenia appellavit? Definita autem est descriptio Procli:[1]) *Τὰ δὲ λεγόμενα παρθένεια χοροῖς παρθένων ἐνεγράφετο, οἷς καὶ τὰ δαφνηφορικὰ ὡς εἰς γένος πίπτει.* Hymni igitur, prosodia, hyporchemata, cuiusvis generis carmina, siquidem choris virginum aptata sunt, parthenia nominantur.[2]) Quae parthenia Spartae maxime floruisse in promptu est, ubi vita virginum libera et in publico versans plurimas ducendi carmina et choros occasiones dabat:[3]) Sacra deorum et pompas, ipsarum certamina et iuvenum, quodcunque in re publica accidit alicuius momenti, cantu choreisque puellae celebrabant.[4]) Hanc virginum vitam musicam prae ceteris Alcmanis carmina sequuntur, quum fere omnia a choris virginum cantata esse demonstrari possit. Nam praeter ea, quae supra enumeravi,[5]) hymnus in Artemin (frg. 20—22),[6]) fragmenta 25;[7]) 26;[8]) 27;[9]) 34 et 35;[10]) 36; 37; 38—45; 66 sine dubio partheniorum reliquiae sunt. Quae si diligenter inspexeris et consideraveris, unde variae illae partheniorum definitiones emanaverint, statim intelliges. Proprium enim erat Alcmanis, id quod plane hymno in Dioscuros perspicitur, in exitu parthenii fabula omissa ipsas chori virgines praedicare suosque ipsius animi sensus et affectus versibus exprimere;[11]) inde definitio:[12]) *τὰ εἰς παρθένους ᾀδόμενα παρθένεια.* Duplicem hanc partheniorum na-

[1]) Chrestom. in Gaisf. Hephaest. p. 385.
[2]) cfr. Schol Arist. Av. 920.
[3]) Welcker, l. l. Müller, Dorer II. p. 257.
[4]) Müller I. p. 277. Hesych. s. v. Καλαοίδια. Plut. Lyc. 14 etc.
[5]) cfr. p. 40.
[6]) cfr. Athen. XIV. 646 A.
[7]) cfr. Welcker ad frg. 11. Steph. Byz. s. v. Ἐρυσίχη.
[8]) cfr. Antig. Carist. Hist. mir. 27.
[9]) cfr. Aristid. II. 40.
[10]) cfr. Welcker, Kleinere Schriften IV. p. 41.
[11]) cfr. supra p. 41.
[12]) cfr. p. 43 not. 9.

turam optime declarat Proclus:[1] *Εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθένια.* Eadem de causa cantici amatorii inventor Alcman laudatur,[2] quamquam huius generis carmina proprie dicta, qualia Alcaei et Anacreontis fuerunt, eum scripsisse satis dubium est. Quantam vero gloriam his carminibus sibi paraverit atque quantopere sonum sermonis virginibus aptissimum semper invenerit, laudes et testimonia veterum scriptorum abunde comprobant. *Ὁ ἄριστος μελῶν ποιητής* a Plutarcho[3] appellatur et ab Aristide[4] *ὁ τῶν παρθένων ἐπαινέτης τε καὶ σύμβουλος.* Idem significant epitheta, quae in epigrammatis ei adscribuntur, ut Leonidae:[5]

Τὸν χαρίεντ' Ἀλκμᾶνα...

et anonymi in novem lyricos Graecos:[6]

θηλυμελεῖς Ἀλκμᾶνος ἀηδόνες...

et in alio eiusdem argumenti:[7]

ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν.

Cognomina haec, quae per se abhorrent a severitate et austeritate Laconica, partheniorum natura supra descripta explicantur; quamquam negari non potest, Alcmanem hac poesis gratia et dulcedine poetis Aeolicis propinquum esse. Id ipsum, quod in hymnis aliisve carminibus gravioris argumenti ipsius poetae sensus et affectus emergunt quasi et erumpunt, inclinatio quaedam et concessio ad indolem Aeolicam putanda est; quae vero, si originem Alcmanis respicimus, si quantum Terpander Lesbius eiusque discipuli valuerint ad excolendam Spartae artem lyricam, reputamus, nihil admirationis efficere potest. —

[1]) l. l. p. 386.
[2]) cfr. Athen. XIII. p. 600 F. Suid. s. v. Ἀλκμάν.
[3]) de mus. c. 14.
[4]) II. 40.
[5]) Iacobs, Anthol. I. p. 311.
[6]) ibid. II. p. 62.
[7]) ibid. II. p. 203.

Supra Alcmanis carmina fabulis mythologicis abundare diximus.[1]) Quod ipsum si ingenio Spartanorum, qui fabulis antiquis plus quam suorum temporum memoria delectabantur,[2]) optime convenit, etiam magis quae de natura deorum et de ratione inter deos et homines atque conditione sententia eius ex fragmentis cognoscitur, Laconicis poetis eum adnumerare cogit. Unum illud fragmentum, quod de Fati genealogia nobis servatum est:[3])

(Τύχα) Εὐνομίας τε καὶ Πειθοῦς ἀδελφὰ
καὶ Προμαθείας θυγάτηρ,

religionem declarat quam prorsus diversam ab Homeri cyclicorumque poetarum fabulis! Cui si comparamus frg. 16. Pag. II, 2 sq.:

...Ἔστι τις σιῶν τίσις·
Ὁ δ' ὄλβιος ὅςτις εὔφρων
ἁμέραν διαπλέκει....

quam honesta de deorum animo et ingenio, de fortuna hominum cognitio paucis his verbis elucet! Notum est, hanc religionis commutationem et emendationem, quae paullatim per totam Graeciam valebat, ex cultu Apollinis, generosissimi deorum Graecorum, enatam esse.[4]) Qui cultus quum apud nationes Doricas et imprimis apud Lacedaemonios primum et maxime floruerit atque viguerit,[5]) apud eosdem honestiorem illam et emendatam religionem primum valuisse, indeque Alcmanem eam sibi induisse, consentaneum est.

Etiam simplex illa et interdum aspera verborum sententiarumque natura, quae pluribus fragmentis perspicitur,

---

[1]) cfr. p. 39. — cfr. frg. 8; 9; 10; 103—111 etc.

[2]) cfr. Mueller, Dorer II. p. 376.

[3]) frg. 62.

[4]) cfr. Mueller, Dorer I. p. 346. Preller, Mythol. I. p. 215. Ulrici II. p. 16.

[5]) cfr. Mueller I. p. 200. Hoeck II. p. 33 sq.

ut frg. 33, ubi se ipsum *πάμφαγον* appellat,[1]) certe Laconicae educationis vi effecta est.[2])

Quibus argumentis si addimus, quanta fuerit eius apud Spartanos auctoritas et gloria, ita ut carmina eius per saecula in Gymnopaediis canerentur,[3]) ut monumentum eius in ipso foro etiam Pausaniae temporibus exstaret,[4]) Alcmanis poesin omnino naturam et indolem Lacedaemoniorum secutam esse eorumque moribus et ingenio optime convenisse, satis apparet. Quod si constat, negari tamen nequit, interdum eum, ut dialecto, ita poesis natura Aeolicis poetis propinquum esse. Iam supra eum saepe suos ipsius affectus choricis carminibus intexere cognovimus,[5]) id quod a chorica poesi posterioris aetatis abhorret. Nihilo magis dulcedo quaedam et mollities animi sententiarumque a Laconica indole aliena nonnullis eius fragmentis adimi potest.[6]) Unde si quem locum in historia artis lyricae Alcman teneat, statuendum est, duas illas partes, in quas poesis lyrica apud Graecos discessit, choricam et melicam, in Alcmanis carminibus nondum diligenter et accurate divisas atque distinctas esse, satis certe intelligitur. Recte igitur, et aetate superior et utramque artis lyricae partem secutus, in canone qui vocatur lyricorum ab Alexandrinis primo loco nominatus est.

Addendum ad p. 29 sq.

Quum haec dissertatio amplissimo philosophorum ordini iam esset oblata, in Philol. XXVII, 2. p. 241—285 et 4. p. 577—629 edita est de hoc Alcmanis fragmento H. L. Ah-

[1]) De vocabulo πάμφαγος cfr. Welcker, Kleinere Schriften IV. p. 66. — Alia eiusmodi fragmenta sunt 34; 74; 75; 76.

[2]) cfr. Teuffel in Pauly, Encyclop. s. v. Alcm. (ed. II.)

[3]) cfr. Athen. XV. 678 C.

[4]) cfr. Paus. III. 15, 2.

[5]) cfr. p. 41.

[6]) cfr. frg. 17; 26; 36; 60; 67.

rensii commentatio, cuius de altera parte, quia metricam quoque carminis compositionem respicit, pauca addam necesse est. Ahrensius p. 577 sq. in alterius columnae versibus eandem quam ego stropham cognovit, sed pro versu logaoedico (9 et 10) recte statuit trimetrum troch. acatal. In exemplo enim chartae, quod ipse inspexit, Col. II, 10 vocabulum *χοραγός*, quod Bergkius scholii partem esse affirmaverat, ipsius versus exitus est, et II, 24 non *ἀηδῶι*, sed *Ἀγιδων* scriptum invenitur, ut duo integri exstent trim. troch. Quod vero Ahrensius eandem stropham in prima quoque columna, cuius maximam partem restituere conatus est, adhibitam esse existimat, id ei assentiri non possum, sed a Col. II, 2 poetam alia stropha usum esse puto. Quamquam enim reliquiae versuum in prima columna simile metrum atque in altera fuisse docent, nonnulli tamen multum inter se differunt. Versus logaoedicus, qui in altera columna ultimus strophae est, in prima non invenitur. Exitus versuum, qui ex Ahrensii sententia strophas claudunt, hi sunt: Col. I, 7: ... *τ' ἔξοχον ἡμισίων* — Col. I, 21: ... *ην(ι)ερογλεφαροι* — Col. II, 1: *ἔργα πάσον κακὰ μησαμέναι*; requiritur autem haec versus forma: — ◡◡ — ◡◡ — ◡ — ◡̄. Item Col. I, 30 legitur: ... *ἔβα τῶν δαμοσιῶν*, ubi requiritur trim. troch. Quem nodum ut expediat, Ahrensius docet (p. 580): Alcmanem in versibus logaoedicis et trochaicis pro longa syllaba ultimi trochaei admisisse brevem. Sed quum neque in integris alterius columnae versibus neque in ceteris Alcmanis fragmentis huius licentiae vestigium inveniatur, mutilatae hae versuum reliquiae persuadere mihi non possunt, ut eam poetae nostro iniungam. Alcmanem vero eiusmodi carmina condidisse, quorum duabus partibus diversas strophas adhibuerit, argumento sunt Hephaestionis verba p. 134: *Ἔγραψε γὰρ ἐκεῖνος* (Alcman) *δεκατεσσάρων στροφῶν ᾄσματα· ὧν τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ αὐτοῦ μέτρου ἐποίησεν ἑπτάστροφον· τὸ δὲ ἥμισυ ἑτέρου.* cfr. Welcker, Alcm. p. 13.